

vocari panem modo Hebræorū, qui omnem cibum nominant panem  
 Resp. ad 1. Pronomen *Hoc* denotat quidem panem, sed non solum,  
 verūm totū complexum. Hinc Paulus dicit, panē esse *κονωvίαν* corpo-  
 ris Domini, *1 Cor. 10, 16*. Ad 2. Quicquid transubstantiatur, amit-  
 tit figuram veterem. Confer exempla *Gen. 19, 26. Exod. 4, 3. Job. 2, 9*.  
 At vero panem in S. Cœna saporem, colorem & odorem retinere,  
 quis negabit? Ad 3. Serpens cit. loc. vocatur ita æquivoce. Hoc autē  
 quis dicet de pane benedicto? Ad 4. Si effectus ex propria causa  
 fluentes habet: ergo est & manet panis. 5. Nō hoc etiā sensu fit, quia  
 non est cibus corporis, sed spiritalis & sacramentalis animæ.

7. *An usus Calicis sit Laicis detrahendus?*

Neg. Ob rationes positas theor. 18. Objic. Bellarminus: 1.  
 Christum quidem instituisse sub utraqve specie, sed non præcepisse  
 omnibus. 2. Non majorem utilitatem sumi ex communione sub u-  
 traque specie, quam ex una. 3. Agnum Paschalem significare tantum  
 manducationem sub una specie. 4. Locum *1. Cor. 10, 16* docere,  
 calicem quidem debere semper benedici, non vero semper distribui.  
 5. Christum non minus sub pane totum, quam sub pane & vino, con-  
 tineri. 6. Primitivam Ecclesiam sup una specie communicasse, *Act.*  
*2, 42 C. 20, 7*. 7. Similiter fecisse Christum in diversorio Emaun-  
 tico, *Luc. 24, 30*. Resp. 1. Contrariatur dictis disertum præceptum:  
 Bibite ex hoc omnes, *Matth. 26, 28*. 2. Christus pro omnibus insti-  
 tuit hoc Sacramentum, ut sæpius probatum; cur ergo mutilanda  
 cœna, & sapientia à filiis justificanda? *Matth. 11, 19*. Ex unius speciei  
 participatione nulla est utilitas, quia mandatum Dei violatur. De  
 concomitantia Pontificiorum brevi aliquid sequetur. 3. Typus ex-  
 tra tertium cum antitypo nō debet conferri. 4. Hæc dicuntur, sed  
 non probantur, cum benedixit, & distribuit, & dedit, *1. Cor. 11*, tan-  
 quam in sede propria jungantur; & cur non Clerici una contenti  
 sunt specie? 5. Non ultra id, quod revelatum est, sapiendum no-  
 bis. Sacramentaliter Christus has duas species sejunxit. Concomi-  
 tantia Pontificia locum ergo hic non invenit, quia, quod naturaliter  
 verum est, confundit cum eo, de quo Sacramentaliter Christus aliter  
 disposuit. Nota hic Beati Lutheri verba: Hier zu schlägt die Conco-  
 mitantia, das ist/ die Folge / weil Christus Leib nicht ohn Blut ist /  
 so folget darauß daß sein Blut nicht ohn Seel ist / darauß folget / daß

B b b b 2

seine